



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

17. Christo patienti se conformem facere Lessius studebat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

cationem faceret: & quasi in fecundissimo campo constitui, ex quo amplissimam meritorum messem, in calos transferret. Imis e visceribus & producta voce, ut facile grati amoris verba agnosceres, laudes hasce pronuntiabat: *Benedic anima mea Dominum, & omnia, que intra me sunt, nomini sancto eius. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Misericordias Domini in aeternum cantabo. Benedictus Dominus DEVS meus, qui docet manus meas ad praelium, & digitos meos ad bellum.*

Pfal. 101.

Pfal. 38.

Pfal. 88.

Pfal. 143.

XV.

Cum aliquando amicorum aliqui ad Lesium, colica, hernia, impetigine, stomachi fastidio, calculo simul saevientibus prope exhaustum & lecto affixum: Pater: quid si DEVS ad hos dolores Reuerentiam vestram mille annos damnaret, quam triste id foret, quam in expectatione molestum! reposuit: Agerem gratias, & pro patientia postularem: donec res hac finem caperet. Quam latus nuntius damnatis foret, si post centum annorum milia liberarentur! Post qua verba totus in lachrymas abiit.

XVI.

Aliquando alias cum ei sanitas voveretur, subintulit, numquam absolute determinateq; a DEO eam se postulasse, immo numquam conditionate totam sanitatem; sed solam dolorum mitigationem petuisse; ne ijs penitus careret, qui tolerari posse videbantur. Multis tamen lachrymis, & votis absolute & sine conditione Patientiam cum animi latitia conjunctam postulasse: quam utramq; virtutem ut peteret, dicebat se scire DEO gratum esse Patientiam quidem, utpote Christianis omnibus, quo Christo suo assimilentur, necessariam: Animi vero latitiam tamquam perfectorum hominum, quibus annumerari anhelaret, virtutem: quam DEO in malis gratias agat; & de illis non aliter, quam de DEI donis gaudeat: Preses istas sibi a DEO concessas aiebat, Patientie & latitia dono: pro quarum studiosa conseruatione, & ad DEVM gratitudine, multum accurateq; meditabatur.

XVII.

Admirandam illam malorum tolerantiam in eo pronocabat Christi passi inauditum exemplum; cuius dolores in se transferre & exprimere conabatur. Christo igitur passo in carne, & ipse eadem cogitatione armatus, frequens Christi crucifixi imaginem amplectebatur, osculum figebat, lachrymas suas sacratissimo eius sanguini propinabat. In cubiculi sui pariete hanc Epigraphen fixerat; AMOR MEVS CRUCIFIXVS EST. Qui ne aliquando vel à corde, vel ab oculis recederet

Cruci.

Crucifixi effigies, qua in studiorum mensa consistebat, sedentem; qua parieti affixa, ambulantiem; qua in oratorio supplicantiem; duplex, qua in lecto, ad pedes altera, altera e lectica tholo jacenti imminens, ne ipsa quies à Cruce vacaret decumbentem commonefaciebat. Ita omni loco, quouis tempore, Christo suo commoriebatur.

Ut plura de robustissima eius patientia non proferam, illud tamen praterire non possum, quòd numeris omnibus eam legem expleuerit, quam S. P. Igaatius egris suis præscripsit. Qui egrotat, humilitatem & patientiam suam prae se ferendo, non minorem adificationem dum morbo laborat, ipsi, qui ipsum inuisent, & cum eo versabuntur & agent, quam dum valebat corpore, ad maiorem DEI gloriam prestare curet, verbis pijs, & ad adificationem facientibus, utendo, qua ostendant egritudine acceptari, ut donum de manu Creatoris ac Domini nostri; quandoquidem non minùs donum est, quàm sanitas. Et sæpe etiam maius, quia per morbos offertur occasio gratiæ diuinæ augendæ, itemque patientiæ exercendæ ac docendæ, nouorumque meritorum & graduum gloriæ adipiscendorum; nec non obedienciæ medicis præstandæ; itemque voluntatis suæ cum diuina confirmandæ, & actuum heroicorum amoris Dei eliciendorum. Quæ quia non ignorauit Lessius, tot miserias, & dolores, tamquam donum de manu Creatoris ac Domini nostri acceptauit, qui simul cum donis suis accedens facit, ut, sicut dona crescunt, ita quoque crescat vnio ipsa cum Deo. Sic ergo vnitus Lessius, idem voluit, idem noluit, quod Deus; maior patientiâ, quàm scientiâ effectus, ut in æternum cum patientibus dicere posset: *Latati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti: annis, quibus vidimus* Psal. 89. 15. & experti sumus mala; recepimus enim mala in vita nostra, cum Lazaro, ut in æterna vita vera æternaque bona recipiamus.

XVIII.

CAPVT XXXI.

*Patientia eorum, qui morbos, tamquam diuinum beneficium, amauerunt, & desiderauerunt.*



Emo alterum magis amat, quàm qui eius causa nihil non aduersi sustinere cupit. Ardorem hunc suum expressit Petrus, cum dicere: *Domine tecum paratus sum* Luc. 22. 23. & in

R r 3